Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35453
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

in omnibus membris et hoc non sine causa. Quidam dixerunt animam habere principalem sedem in corde, quidam in capite, quidam in membris, quidam in toto corpore, et ideo Christus passus est in omnibus membris. Quidam dixerunt animam esse in capite et hoc propter auctoritatem illam Gen. 2°: Inspiravit in faciem eius spiraculum vite. Ista inspiratio nihil aliud est quam anime infusio. Et contra illam opinionem primo crucifixerunt eum in capite, unde unusquisque ob capitis sui perforaverunt usque ad cerebrum, et hoc non fuit ex natura sed ex voluntate divina. Unde bene potest dicere: Vulneraverunt me etc. Alii autem dixerunt animam esse in corde et hoc propter istam auctoritatem: De corde exeunt cogitationes bone et male. Si ergo cogitationes exeunt de corde, ergo anima est in corde. Ideo ipsum crucifixerunt in corde ut si ibi forte remansisset anima et sic eam a corde extraxissent. Quidam dixerunt eam esse in sanguine. Ideo cruciaverunt omnes venas eius et totum sanguinem cum maximo dolore extraxerunt, ita quod corpus eius aridum remansit. Ista fuit acerrima pena. Unde Ps. Aruit tamquam testa virtus mea. Corpus enim suum fuit aridum sicut testa quia omnes humores in eo exsiccati fuerunt. Quidam autem dixerunt animam esse in toto corpore. Ideo cruciaverunt eum in toto corpore querentes animam ipsius. Ideo dicit propheta: A planta pedis etc. Unde quomodo Christus vulneratus est, unde bene dicere potest: Vulneraverunt me et tulerunt pallium meum. Istam vestem corporalem scilicet corpus suum sanguinolentum reservavit propter inimicos suos quia vult ostendere in die iudicii de peccatoribus. Posset aliquis querere: O bone Ihesu, quare tantum sanguinem fudisti pro homine, cum tamen per minimam stillam sanguinis potuisses eum liberasse? Ad hoc respondeo: Caritas nimia induxit Christum ad amorem quem habuit et habet ad nos, que ita magna quod superat omnes amores. Est quidem quadruplex amor. Require supra in dominica palmarum. Hanc vestem spiritualem scilicet apostolos qui Christum vestiebant ipsos omnes amisit et unus penitus confractus est scilicet Iudas qui laqueo se suspendit. Ceteri omnes fugierunt. Petrus qui canebat: Domine paratus sum tecum in carcerem etc. Iste factus fuit postea ita timidus quod ad vocem unius ancille Christum negavit. Et sic Christus simpliciter veste fuit spoliatus a iudeis et ideo dixit: Tulerunt pallium meum. Rogo

In die sancto pasche

Iesum queritis Nazarenum crucifixum, surrexit non est hic etc. Marci ult. In verbis istis angelus tria facit. Primo tangit igno-